



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio XXIII. Vtrùm, & quomodo peccatum semel remissum possit iterùm reviviscere de potentiâ Dei absolutâ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

quãdam, & non ipsa sua ratione; qualis videtur esse circumstantia ingratitude, utpotè speciali virtuti opposita, non videtur satis probari; eas non superaddere specialem aliquam malitiam: præsertim cum in præsentia vera, ac formalis malitia ingratitude reperitur; cuiusmodi etiam specialis pœna respondet.

525. Probatur tertio, quia rectitudo gratitudinis non communicatur actui externo, nisi sit per se intenta; ergo etiam malitia eidem opposita, non contrahitur, nisi per se intenta sit. Non etiam placet, quia perfectus voluntarium requiritur ad specialem virtutis honestatem obtinendam, quàm ad contrahendam malitiam oppositam; ad illam enim requiritur explicita, & formalis intentio, quam constat univèrsim non requiri ad peccatum, cum sit malum; malum autem ex quocunque defectu.

526. Probatur quarto cum *P. Soar. cit. num. 6. & P. Vasq. art. 4.* quia licet quando circumstantia peccati est contra virtutem, quæ per se requirit medium in ipsa actione exteriori, & imperatâ, regulariter sufficiat voluntarium indirectum ad dandam speciem peccati; non ita sufficit, quando circumstantia actûs interioris, seu imperati, est contra virtutem, quæ per se primò consummatur in actu interiori, ut est v. g. charitas; tunc enim non dat speciem, nisi sit specialiter intenta; aut nisi specialis aliqua obligatio ex tali virtute occurrat ad illum vitandum, vel ad oppositum actum eliciendum; sed hoc in proposito eventu non cernitur, & gratitudo in interiori actu consummatur; ergo ut det actui speciem, debet esse per se intenta.

527. Non etiam placet primò, quia gratitudo univèrsim actu interiori non consummatur; siquidem etiam deponit exhibitionem gratiæ. Secundò, quia charitas, & similes virtutes, licet per se actu interno consummentur, tamen etiam per se actus externos dirigunt, illos imperando, vel prohibendo; ergo cur non etiam gratitudo in præsentia non prohibebit illam ingratitude circumstantiam tanquam suæ honestati repugnantem?

528. Dicent, idèd hoc fieri, quia peccatum, quod per ingratitude aggravatur, jam ante prohibetur majori obligatione iustitiæ erga Deum: sic enim etiam inter homines, ne benefactor occidatur, propriè non prohibet gratitudo, sed iustitia, cuius major est obligatio. Sed contra, quia si gratitudo maleficium non prohibet, sequitur, nullam veram, ac formalem ingratitude tali peccato contrahi; ac proindè neque in proposito eventu peccatum subsequens per veram ingratitude nem aggravari; hoc autem non dicent; ergo &c. Undè.

529. Probatur quinto cum *P. Tanner. cit. num. 58.* quia licet circumstantia ingratitude in proposito eventum contineat specialem malitiam, hæc tamen malitia est communis omni peccato, integrans, & complens malitiam illam, quam in se includit quodlibet peccatum; siquidem impossibile est, ullum peccatum committi, quin simul interveniat quædam ingratitude erga Deum, saltem adversus communia illa beneficia creationis, conservationis, redemptionis, &c. sed circumstantia, quæ malitiam ita communem includit, licet aggravet peccatum subsequens intra eandem speciem, non ei novam superaddit, nisi sit directè intenta; alioqui quodlibet peccatum, non unum, sed multiplex esset; cum quodlibet varias rationes malitiæ contineat omnibus communes, ut inobedientiam, iniustitiam, aversionem à Deo, conversionem ad creaturam, repugnantiam cum natura rationali,

cum recta ratione, cum lege divina, & similes; ergo &c.

Quæres secundò: Utrum hæc circumstantia ingratitude explicanda sit in confessione? Negant *P. Henric. lib. 4. cap. 35. P. Soar. tom. 4. in 3. part. d. 13. sect. 3. num. 4. Medin. Sor. in 4. dist. 16. q. 1. art. 4. P. Valent. quest. 5. punct. 2. P. Tanner tom. 4. d. 6. quest. 5. dub. 3. num. 59. & alii.* Probatur primò, quia hæc circumstantia neque mutat speciem, ut diximus, neque notabiliter aggravat; sed solum tenemur explicare in confessione circumstantias mutantes speciem, aut (ut aliqui docent,) notabiliter aggravantes; ergo &c. Secundò, quia ipsa circumstantia ingratitude satis à Confessario intelligitur, utpotè comitans unumquodque peccatum suscipientis Sacramentum Pœnitentiæ; ergo &c. Tertio, quia alioqui necesse foret repetere numerum, & magnitudinem præcedentium lapsuum; hoc autem est moraliter difficilimum, & sæpe impossibile; ergo &c.

## SECTIO XXIII.

*Utrum, & quomodo peccatum semel remissum possit iterum reviviscere de potentia Dei absolutæ?*



ACTENUS diximus; non posse peccatum semel remissum iterum reviviscere per subsequens peccatum de potentia ordinaria, neque quoad culpam, neque quoad pœnam æternam: Nunc examinabimus, quid tenendum sit, si attendamus ad potentiam Dei absolutam, secundum quam non tenetur Deus se accommodare rerum naturis, & exigentiæ. Suppono, quæstionem posse procedere de reditu peccati quoad culpam, aut quoad pœnam æternam, de cuius reditu infra dicemus; hic enim solum erit sermo de reditu peccati quoad culpam secundum suum esse physicum; aut secundum suum esse morale, sicq; inquirendum nobis est: Primò, utrum idem peccatum, sive eadem numero actio physica, quæ præterit, possit iterum reproduci à Deo, & redire? Secundò, utrum possit redire idem numero peccatum, non jam quoad entitatem physicam actûs, sed moraliter quoad imputabilitatem malitiæ, ita ut homo verè censetur maculatus, & averfus à Deo, non solum propter peccatum præsens, sed etiam propter peccatum præteritum? Hoc posito.

Dico 1. Peccatum quoad suum esse physicum, sive idem actus physicus peccati, potest iterum redire de potentia Dei absoluta. Ita *Ocham. in 4. q. 9. ad 2. dub. P. Amicus tom. 8. d. 7. de Panit. sect. 2. n. 25. P. Ariaza tom. 8. d. 15. sect. 1. num. 2. & alii.* Probatur, quia in hoc nulla apparet repugnantia; sed quod nullam habet repugnantiam, aut indecentiam, non est Deo denegandum; ergo &c.

Dicent, implicantiam, sive repugnantiam in eo esse, quod Deus produceret actum illum peccaminosum, dicereturque author peccati. Sed contra, quia eodem modo se habet Deus de facto concurrendo ad actus hominis pravos, ac se haberet concurrendo ad reproductionem illius actûs; sed in primò illo concursu non dicitur Deus author, & causa peccati, prout alibi diximus, & ex infra dicendis constabit; ergo neque sic dicitur in hoc secundo concursu reproductionis actûs illius.

Patet, quia ex eo, quod homo se velit determinare ad furtum v. g. non magis implicat ex parte Dei

Dei, quod homini determinet hanc numero actionem furti, ad quam homo non potest se determinare, quam quod reproducat eandem actionem prateritam; siquidem non magis mala, & peccaminosa est hæc reproductio, quam illa determinatio; sed Deus potest hanc determinationem efficere, quin dicatur causa peccati, ut ipsi Adversarii concedunt; ergo etiam poterit efficere illam reproductioem, quin dicatur author, & causa peccati; neque enim assignabunt diversam rationem.

535. Dicent, diversam rationem esse, quia in reproductioe illius actus diceretur Deus causa particularis, & non universalis actus peccaminosi; siquidem non concurreret ad exigentiam creaturæ, quæ non exigit illam reproductioem, sicut exigit determinationem illam quoad individuum. Sed contra, quia falsò supponunt, Deum fore causam particularem talis actus; non enim diceretur illius causa particularis, neque quoad esse physicum, neque quoad esse morale; siquidem neque ipse præveniret voluntatem creatam, excitando illam ad talem actum, ut excitat ad actum honestum; neque illam primò ad illum determinaret, sicque solum diceretur causa particularis quoad modum reproducendi eundem numero concursum jam corruptum. Unde sicut hic concursus primò existens, non erat sufficiens, ut Deus diceretur causa peccati, quia illum præstitit ex suppositione, quod voluntas voluit se ad peccatum determinare; ita neque sufficiens erit, cum Deus illum reproducat; siquidem eodem modo se habet reproductio primi concursus ad peccatum, ac si Deus alium numero diversum daret, & primò produceret ad exigentiam voluntatis creatæ; ergo sicut Deus de factò, quando voluntas vult se ad malum determinare, illi præparat hunc numero concursum, quin dicatur causa peccati, ita erit quando ad eandem determinationem voluntatis, se determinaverit Deus ad reproducendum eundem concursum præteritum.

536. Instabis: Licet Deus non determinet voluntatem ad actum absolutè, illam tamen determinat ad talem actum in individuo, & in particulari; siquidem ad hunc non potest voluntas creata se determinare, cum homo non magis agnoscat unum actum in individuo, quam alium, & nihil sit volitum, quin præcognitum; ergo Deus liberè eligit dare hunc potius concursum, quam illum; consequenterque dicitur causa particularis determinans ad peccatum; & à fortiori quando sic determinaverit per concursum reproductum.

537. Respondeo negando consequentiam quoad ultimam partem; tunc enim solus Deus diceretur determinare ad illum actum, sicque esse causa illius particularis, ac proinde peccati, quando ex parte voluntatis creatæ nulla daretur exigentia huius determinationis: cum verò neganda non sit hæc exigentia voluntatis ad aliquam individuationem, non potest quidem Deus dici causa determinans simpliciter; nam licet voluntas non exigit hanc numero determinationem, exigit tamen aliam similem, & ejusdem rationis; ac proinde Deus determinans ad hanc potius, quam ad illam, cum illam ponat ad exigentiam voluntatis creatæ, & veluti coactus, non ponit malitiam, nec dicitur causa actus mali: præsertim cum teneatur ad illam, aut similem determinationem ex officio, & munere Causæ Primæ, cuius est causas secundas determinare quoad actiones in individuo, prout alibi diximus in *Phys. tract. 2. d. 5. à num. 103.*

538. Hæc autem ut melius intelligantur, explicari de-

Tom. 2.

bet, quo pacto Deus determinet actiones creaturarum, maxime rationalium, nè cum eas determinat ad actus pravos dicatur author, & causa peccati. Primus modus, quo id solet explicari, constat ex dictis in *Physic. tr. 2. d. 5. à n. 103.* diximus enim, Deum non esse authorem, neque causam specialiter determinantem ad peccatum, licet determinet voluntatem creatam ad actus quoad individuum; quia jam supponit ejus determinationem quoad speciem, nempe ad actum odii, & non amoris, cum possit ad utrumque se liberè determinare; vis à autem eà determinatione quoad speciem, cum voluntas non possit hunc potius numero actum, quam alium eligere, ut potè quæ non fertur in incognitum, & non magis hic, quam ille cognoscitur, discernit Deus, qui statuit se accommodare exigentiæ voluntatis creatæ, ex omnibus actionibus possibilibus hanc potius, quam aliam ei parare ex suppositione, quod voluntas se determinaverit ad actum quoad speciem pravum, ad quem eliciendum exigit unam ex omnibus illis actionibus in individuo; ex quo satis ostenditur determinationem peccaminosam totam esse à voluntate creatâ, non autem à Deo.

Hic modus, licet sit communis, & valde probabilis, non placet aliquibus. Et ratio est, quia Deus non potest prævidere determinationem voluntatis quoad speciem, nempe ad actum amoris potius, quam odii, nisi prævidendo ejus operationem in individuo, ac proinde quando jam exercet actum in individuo; ergo non intelligitur determinatio illa quoad speciem ex parte voluntatis creatæ, & quoad individuum ex parte Dei. Probatur antecedens, quia Deus non potest prævidere determinationem voluntatis quoad speciem tantum in ipsamet voluntate; siquidem hæc est indifferens ad actus utriusque speciei, nempe amoris vel odii: non in aliquo principio præcedente ipsam determinationem quoad speciem; siquidem quocumque illud sit, debet esse indifferens, ut concedunt omnes, qui nõ admittunt præviam motionem, seu prædeterminationem physicam: non denique in ipsismet actibus ut productis; siquidem non possunt produci, nisi prius sint determinati, cum productio non tendat ad aliquid vagè, & indeterminatè; non ut possibilibus; siquidem æquè possibles sunt actus odii, & amoris; ergo non potest Deus prævidere voluntatem determinatam quoad speciem, & indeterminatam quoad individuum, illamque quoad individuum determinare. Unde.

Secundus modus, quem assignant hi Authores, est, Deum non prævidere voluntatem creatam determinatam quoad speciem, antequam illam determinet quoad individuum, neque determinare individuacionem voluntatis jam determinatæ ad hanc speciem actus, nempe ad actum amoris; sed antequam videat determinationem voluntatis ad hanc, vel illam speciem actus, illi determinare hunc numero actum amoris, & non alium; & hunc numero actum odii, & non alium; ita ut ex suppositione, quod se determinet ad amorem, amet per hunc, & non per alium actum, amoris; & ex suppositione, quod se ad odium determinet, hunc tantum, & non alium actum odii habeat paratum. Unde fit, quod in manu voluntatis est se liberè ad odium, vel amorem determinare, & ex suppositione etiam se determinare ad hunc numero actum amoris, vel odii; licet, quia voluntas in actu secundo potius ad amorem, quam ad odium se applicat, dicatur se determinare quoad speciem.

Hinc sequitur, hanc determinationem Dei quoad

Ecce

ad

ad individuum esse ante omnem actum, & determinationem voluntatis, nec propterea laedere libertatem creatam; siquidem talis determinatio non est absoluta, sed ex suppositione, quod ipsa voluntas velit operari, illamque relinquit indifferentem ad hanc, vel illam speciem actus, in quo consistit ratio libertatis, non autem in eo, quod hunc, aut illum actum in individuo operetur; actus enim in individuo non auget, nec minuit meritum, vel demeritum. Patet, quia si voluntas esset determinata ad malum, & homo cognosceret omnes actus in individuo, quos circa illud posset eligere, non diceretur gravius peccare in eo, quod hunc potius, quam illum eligeret, cum in individuatione actus non detur specialis libertas; ergo &c.

542. Confirmatur exemplis: Primò, quia Beati in patria, licet possint liberè amare Deum per hunc numero actum, vel per alium, quem possunt eligere, cum omnes videant in Verbo, non merentur, quia sunt determinati ad amorem. Secundò, quia qui ex voto tenetur dare aureum pauperi, licet in manu illius sit hunc potius, quam alium aureum pauperi erogare, non tamen exercet actum moraliter laudabilem, & meritorium in tali electione unius præ alio; ergo &c.

543. Hic secundus modus explicandi, quo pacto Deus determinat actiones creaturarum, præsertim rationalium, est satis probabilis, illumque tenet *P. Arriaga in Physic. d. 10. sect. 2. subsect. 3. num. 98.* & ex hoc eodem modo etiam patet, quoniam pacto qualibet actio in individuo sit meritoria, aut demeritoria, & digna præmio, aut pœnâ; siquidem cum ad quamlibet liberè se determinet homo operans, ex suppositione, quod vult se determinare ad actum quoad speciem, id est, ad amorem, vel odium, qualibet actio etiam in individuo est digna præmio, vel pœnâ, sicque meritoria, vel peccaminosa, sive demeritoria. Adhuc tamen contra traditam doctrinam.

544. Obijciens. Licet Deus non primò determinet quoad individuum in genere; sic enim se determinat creatura eo ipso, quod se determinat quoad speciem actus exigentis in genere aliquam actionem in individuo; saltem primò determinat Deus quoad hanc individuationem in particulari; siquidem ad hanc neque existivè se determinat creatura, cum illam in particulari non cognoscat, sed Deus, qui liberè hunc potius, quam alium concursum parat & eligit; ergo cum primò ad illum determinet, dicitur author, & causa peccati.

545. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; neque enim Deus dici potest primò determinans etiam quoad hunc numero actum peccati; siquidem primò ad aliquid determinare, est ita ad illud determinare, ut nulla præsupponatur exigentia; cum igitur in creatura præsupponatur exigentia, ad aliquam saltem individuationem in genere, per ipsum actum in specie, ad quem ipsa se primò determinat; imò ex suppositione quod ad illum se determinat, etiam se determinat ad talem individuationem, quam Deus ex suppositione suæ determinationis quoad speciem decreverat dare; ut patet ex supra dictis, non potest Deus dici primò illam determinans, neque quoad individuationem in particulari.

546. Obijciens 2. Deus non potest reproducere actum illum quoad suum esse physicum absque miraculo; sed repugnat Divina Bonitati uti miraculis ad producendum actum peccati; ergo &c. Respondeo negando minorem; nam sicut nulla

est repugnantia, ut Deus determinet creaturam ad hanc, vel illam individuationem peccati, ex suppositione, quod illa liberè velit se determinare ad speciem talis actus: ita nulla est repugnantia, ut ex eadem suppositione illam determinet ad eandem individuationem corruptam, illam reproducendo.

Dico 2. Hujusmodi actus sic reproductus, licet physicè unus, moraliter tamen, & in ratione peccati, esset duplex. Ita *P. Amicus tomo 8. d. 7. n. 33. P. Arriaga tomo 8. d. 15. sect. 1. num. 2.* Probat, quia culpa, & offensa in tali actu defumitur ex libera hominis applicatione ad actum rationi distortum; sed hæc applicatio bis fieret, licet eodem numero actu; ergo bis peccaret; siquidem bis ad peccandum se applicaret.

Dices: Ita se habet anima constituta in duplici tempore, atque in duplici loco; sed in duplici loco unum tantum committeret peccatum per unum actum ubiq; replicatum; ergo etiam in duplici tempore per eundem actum reproductum unum tantum peccatum committeret. Resp. negando majorem; diversa ratio est, quia in duplici tempore duplex requiritur applicatio ad operandum, & quantum est ex se, per duplicem actum operatur anima, licet per accidens detur unus tantum actus ratione ejusdem concursus reproducti; sicque esset unus actus physicus, & duplex moraliter cum duplici malitiâ ratione duplicis applicationis liberæ: at verò anima constituta in diverso loco unam tantum haberet applicationem liberam ad peccandum, à qua una tantum oriretur denominatio moralis, ac proinde unum tantum peccatum.

## SECTIO XXIV.

### Quid sentiendum de reviviscentiâ peccati quoad suum esse morale?

**S**ENSUS QUESTIONIS est: Utrum peccatum semel commissum possit per sublequens peccatum iterum redire, non jam quoad suum esse physicum, de quo jam diximus, sed moraliter, sive quoad moralem imputabilitatem, ita ut homo, commisso novo peccato, incipiat iterum præteriti peccati maculâ notari? Negativam sententiam tenent *Sor. in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. Richard. dist. 22. art. 1. q. 1. Paludan. q. 1. Major. q. 2. P. Henric. lib. 4. cap. 32. n. 4. in gloss. P. Soar. tomo 4. in 3. part. d. 13. sect. 1. num. 1. P. Vasq. tom. 3. in 3. p. q. 88. art. 4. dub. 1. num. 75. P. Tanner. tomo 4. d. 6. q. 5. dub. 3. n. 71. P. Lugo d. 10. de Penit. sect. 1. n. 10. P. Compton. tomo 2. d. 89. sect. 2. n. 1. P. Rhodex. tomo 2. d. 1. de Penit. quasi 3. sect. 4. §. 2. P. Turrian. P. Hurt. d. 2. diff. 18. P. Egid. d. 2. de Penit. dub. 18. num. 149. qui oppositam dicit esse æquè probabilem. Nagnez 3. p. q. 88. art. 1. Bonac. d. 5. de Penit. q. 6. sect. 3. punct. 1. n. 1. & alii apud cit.*

Affirmativam sententiam tuerentur *Sor. in 4. dist. 22. q. 1. Gabr. ibid. Medin. tract. 1. de Confess. quasi 9. P. Valent. tomo 4. d. 7. q. 5. punct. 1. §. Quod si Deus. P. Egid. cit. n. 150. P. Soar. Lusit. tract. 1. de Penit. d. 4. n. 456. P. Amicus tomo 8. d. 7. n. 37. P. Granad. P. Præposit. 3. part. q. 88. art. 1. dub. 2. n. 17. P. Arriaga tomo 8. d. 15. sect. 4. n. 31. & alii. Quia tamen hæc difficultas gravis est, & à qua ferè pendet exacta resolutio præcedentis de actuali reditu peccatorum; nam si neque de potentia Dei absoluta redire possint, benè inferitur, de facto, & secundum potentiam ordinariam non redire: Quid in eâ utriusque sententiæ*